

manifesta causa & rationabili non mutentur: videlicet si fuerint dilapidatores, nec continenter vixerint, aut aliquid tale egerint, pro quo amovendi merito videantur: aut si etiam pro necessitate majoris officii de consilio fratrum fuerint transferendi.

Eodem pertinet supra relati Concilii Londoniensis anni 1075. can. 2. nec non relatio S. Gregorii Papæ lib. 4. Dial. c. 55. de Monacho, cui Justo nomen erat, qui laborans extrema ægritudine, deprehensus fuit oculuisse sibi tres aureos, quem ipse Gregorius a fratribus Monachis visitari usque ad mortem prohibuit, defunctorum vero in sterquilino sepeliri una cum tribus aureis fecit, unoquoque fratrum, dum terra profana cadaver operiebatur, dicente illi: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Quia vero gravem in extremis de suo delicto in illa fratrum derelictione conceperat animi dolorem, solo ei adstante carnali fratre artis Medicæ professore, post sexaginta ab obitu dies, eidem fratri apprensus denunciavit se gravibus penis liberatum occasione triginta Missarum, quas Gregorius ipse Præposito Monasterii clam, ceterisque inficiis, pro ejusdem refrigerio jusserat offerre.

Can. XI. Clerici in sacris Ordinibus constituti, qui mulierculas suas in domibus suis incontinentia nota teneant; aut abiciant eas & continenter vivant, aut ab officio & beneficio Ecclesiastico fiant alieni. Quicumque incontinentia illa, que contra naturam est, propter quam venit ira Dei in filios dissidentie, & quinque Civitates igne consumpsit, deprehensus fuerit laborare, si Clerici fuerint, ejiciantur a Clero, vel ad penitentiam agendam in monasteriis detradantur. Si laici excommunicationi subdantur, & a ceteris fidelium fiant prorsus alieni. Monasteria præterea sanctimonialium si quisquam Clericus sine manifesta & necessaria causa frequentare presumpserit, per Episcopum arceatur; & si non desisterit, a beneficio Ecclesiastico videatur immunis.

Profertur in c. Monasteria, de vita & honest. Cleric.

Can. XII. Clerici in Subdiaconatu, & supra, & in minoribus quoque Ordinibus si stipendiis Ecclesiasticis sustententur, coram iudice seculari Advocati in negotiis fieri non presumant; nisi propriam vel Ecclesie sue causam fuerint persecuti, aut pro miserabilibus forte personis, que proprias causas administrare non possunt. Sed nec procuraciones villarum, aut jurisdictiones etiam seculares sub aliquibus Principibus vel secularibus viris, ut justitarius eorum fiat, Clericorum quisquam assumere presumat. Si quis adversus hoc tentaverit, (quoniam contra doctrinam Apostoli est, dicentis: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus) & seculariter agit, ab Ecclesiastico fiat ministerio alienus: pro eo quod officio Clericali neglecto, fuctibus sæculi, ut potentibus sæculi placeat, se immergit. Distinctius autem decrevimus puniendum, si religiosorum quisquam aliquid prædictorum audeat attentare.

Allegatur in c. sed nec procuraciones: ne Cler. vel Monachi sæcul. negot.

Can. XIII. Quia nonnulli modum avaritie non ponentes, dignitates diversas Ecclesiasticas & plures Ecclesias Parochiales contra sacrorum Canonum instituta nituntur acquirere, ita ut cum unum officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vendicent plurimorum; ne id de cetero fiat, distinctius inibemus. Cum igitur Ecclesia, vel Ecclesiasticum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona queratur, que residere in loco, & curam ejus per seipsum valeat exercere. Quod si aliter fuerit actum; & qui receperit, quod contra sacros Canones accepit, amittat: & qui dederit, largiendi potestate privetur.

Can. XIV. Quia in tantum jam quorundam processu ambitio, ut non duas aut tres, sed sex aut plures Ecclesias perhibeantur habere, nec duabus debitam possint provisionem impendere, per fratres & carissimos Coepiscopos nostros emendari precipimus, & de multitudine præbendarum Canonibus inimica, que dissolutionis materiam & vagationis inducit, & certum continet periculum animarum, eorum qui Ecclesiis digne valeant deservire, volumus Ecclesiasticis beneficiis indigentiam sublevari. Præterea quia in tantum laicorum quorundam processu audacia, ut Episcoporum auctoritate neglecta Clericos instituant in Ecclesiis & removeant etiam cum voluerint: possessiones quoque atque alia bona Ecclesiastica pro sua plerumque voluntate distribuunt: & tam Ecclesias ipsas, quam earum homines tallis & exactionibus presumant gravare: eos qui amodo ista commiserint, anathemate decernimus feriendos. Presbyter autem sive Clericus, qui Ecclesiam per laicos sine Episcopi proprii auctoritate receperit tenen-

dam, communionem privetur; & si perstiterit, a ministerio Ecclesiastico & Ordine deponatur. Sane quia laici quidam Ecclesiasticas personas & ipsos etiam Episcopos suo iudicio stare compellunt; eos qui de cetero id presumpserint, a communionem fidelium decernimus segregandos. Prohibemus etiam, ne laici decimas cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laicos possint quodammodo transferre: si quis vero receperit, & Ecclesia non tradiderit, Christiana sepultura privetur.

Pars hujus canonis habetur c. præterea, de jure patr.

Can. XV. Cum in officiis caritatis primo illis teneantur obnoxii, a quibus nos beneficium cognovimus accepisse; e contrario, Ecclesiastici quidam Clerici cum ab Ecclesiis suis multa bona perceperint, bona per Ecclesias acquisita in alios usus transferre presunt. Hoc igitur quia & antiquis Canonibus constat inibitum, nec etiam nihilominus inibemus. Indemnitate itaque Ecclesiarum providere volentes sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona precipimus remanere. Præterea quoniam quidam in quibusdam partibus sub pretio statuuntur, qui Decani vocantur, & pro certa pecunia quantitate jurisdictionem Episcopalem exercent, presentis decreto statuimus, ut qui de cetero presumpserit, officio suo privetur, & Episcopus conferendi hoc officium potestatem amittat.

Hinc de promptum est c. cum in officiis de testam. Eo quoque pertinet rubrica Canonica, ne Prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant. Huic eidem pravitati jam ante occurrerat Synodus Turonensis anni 1163. can. 9. quem vide superius.

Can. XVI. Cum in cunctis Ecclesiis, quod pluribus & senioribus fratribus visum fuerit, incunctanter debeat observari, grave nimis & reprehensione dignum est, quod quarundam Ecclesiarum pauci, quandoque non tam de ratione quam de propria voluntate ordinationem multorum impediunt, & ordinationem Ecclesiasticam procedere non permittunt. Quocirca presentis decreto statuimus, ut nisi a paucioribus & inferioribus aliquid rationabile fuerit ostensum, appellatione remota semper prævaleat, & sumum consequatur effectum, quod a majori & saniori parte Capituli fuerit ostensum; nec nostram constitutionem impediat, si forte aliquis ad conservandam Ecclesie sue consuetudinem juramento se dicat astrictum; non enim dicenda sunt juramenta, sed potius perjuria, que contra utilitatem Ecclesiasticam & Sanctorum Patrum veniunt instituta. Si quis autem hujusmodi consuetudines, que ratione jvantur, & sacris congruent instituit, irritare presumpserit, donec congruam egerit penitentiam, a Dominici Corporis perceptione fiat alienus.

Can. XVII. Quoniam in quibusdam locis Ecclesiarum fundatores, aut heredes eorum, potestate, in qua eos Ecclesia hucusque sustinuit, abutuntur: Et cum in Ecclesia Dei unus esse debeat, qui præsit, plures sine respectu subjectiones eligere moluntur: & cum una Ecclesia unus debeat esse rectoris, pro sua defensione plurimos presentant. Quocirca presentis decreto statuimus, ut si forte in plures partes fundatorum se vota diffuderint, illi præficiatur Ecclesia, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur & probatur assensu. Si autem hoc sine scandalo fieri nequiverit, ordinet Antistes Ecclesiam, sicut melius secundum Deum viderit ordinandam. Idipsum etiam faciat, si de jure Patronatus questio emerit inter aliquos, & cui competat, infra quatuor menses non fuerit definitum.

Hinc de promptum est c. quoniam in quibusdam, de jure patron. Et exprimitur quatuor menses, atque firmatur is numerus per c. cum propter, eod. tit. Itaque quædam Conciliorum exemplaria, que tres menses expriment, mendosa sunt.

Can. XVIII. Quoniam Ecclesia Dei, & in iis que spectant ad subsidium corporis, & in iis que ad profectum veniunt animarum indigentibus, sicut pia mater providere tenetur: ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non possunt, agendi & proficiendi opportunitas subtrahatur: per unamquamque Ecclesiam Cathedrali Magistro, qui Clericos ejusdem Ecclesie & Scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium assignetur; quo decentis necessitas sublevetur, & discentibus via pateat ad doctrinam. In aliis quoque restituatur Ecclesiis sive Monasteriis, si retroactis temporibus aliquid in eis ad hoc fuerit deputatum. Pro licentia vero docendi nullus premium exigat, vel sub obtentu alicujus consuetudinis ab iis, qui docent, aliquid querat, nec docere quempiam petita licentia qui sit idoneus, interdicit. Qui vero contra hoc venire presumpserit, a beneficio Ecclesiastico fiat alienus.

aliens. Dignum quidem esse videtur, ut in Ecclesia fructum laboris sui non habeat, qui cupiditate animi dum vendit licentiam docendi, Ecclesiasticum profectum nititur impedire. Hinc deductum est c. 1. de Magist.

Can. XIX. Non minus pro peccato eorum qui faciunt, quam pro illorum detrimento qui subsistent, grave nimis esse dignoscitur, quod in diversis partibus mundi Rectores & Consules civitatum, nec non & alii, qui potestatem habere videntur, tot Ecclesiis frequenter onera imponunt, & ita gravibus eas crebrique exactionibus premunt, ut deterioris conditionis factum sub eis Sacerdotium videatur quam sub Pharaone fuerit, qui Divina legis notitiam non habebat. Ille quidem omnibus aliis servitute subjectis, Sacerdotes suos & eorum possessiones in pristina libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministravit. Ipsi vero universa fere onera sua imponunt Ecclesiis, & tot angariis eas affligunt, ut illud eis, quod Jeremias deplorat, competere videatur. Princeps Provinciarum facta est sub tributo. Sive quidem fossata, sive expeditiones, sive quilibet sibi arbitrentur agenda, de bonis Ecclesiarum, Clericorum, & pauperum Christi usus deputatis cuncta volunt fere compleri. Jurisdictionem etiam & auctoritatem Episcoporum & aliorum Prælatorum ita evacuant, ut nihil potestatis eis suis hominibus videatur remansisse. Super quo dolendum est pro Ecclesiis, dolendum etiam nihilominus & pro ipsis, qui timorem Dei & Ecclesiastici Ordinis reverentiam videntur penitus abjecisse. Quocirca sub anathematis distinctione severius prohibemus, ne de cetero talia presumant attentare; nisi Episcopus, & Clerus tantam necessitatem vel utilitatem aspexerint, ut absque ulla coactione ad revelandas communes necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existimant conferenda. Si autem Consules aut alii de cetero id presumpserint, & communiti desistere forte voluerint, tam ipsi quam eorum fautores excommunicationi se noverint subiacere: nec communioni fidelium reddantur, nisi satisfactionem fecerint competentem.

Habetur in c. non minus, de immunit. Eccl. Vide inferius can. 46. Concilii Lateranensis sub Innocent. III.

Can. XX. Felicitis memorie Pape Innocentii & Eugenii prædecessorum nostrorum vestigiis inherentes, detestabiles illas mundanas vel ferias, quas vulgo torneamenta vocant, in quibus milites ex condito venire solent, & ad ostentationem virium suarum & audacia temere congregantur, unde mortes hominum & animarum pericula sepe proveniunt, fieri prohibemus. Quod si quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamvis ei postea venia non negetur, Ecclesiastica tamen careat sepultura.

Habetur c. 1. de torneamentis. Vide superius secundi Lateranensis can. 14.

4. Can. XXIII. Decernit, ut Leprosi sibi metipsis privatam habeant Ecclesiam, & Cæmeterium, & Presbyterum; eorumque hortos & pecuaria eximit ab obligatione decimarum.

Can. XXIV. Ita quorundam animos occupavit ceca cupiditas, ut cum gloriarentur nomine Christiano, Saracenis

arma, ferrum & lignamina Galearum deferant, & pares eis aut etiam superiores in malitia fiant, dum ad impugandos Christianos arma eis & necessaria subministrant. Sunt etiam, qui pro sua cupiditate in Gales & piraticis Saracenorum navibus regimen & curam gubernationis exercent. Tales igitur a communionem Ecclesie excisos, & excommunicationi pro sua iniquitate subjectos, & rerum suarum per seculi Principes Catholicos & Consules civitatum privatione multari, & capientium servos, si capti fuerint, fore censemus. Præcipimus etiam ut per Ecclesias maritimarum urbium crebra & solemnitas excommunicationis proferatur in eos. Excommunicationis quoque poenæ subdantur, qui Romanos aut alios Christianos pro negatione, aut aliis causis beneficiis navigio vectos aut capere, aut rebus suis spoliare presumunt. Illi etiam qui Christianos naufragia patientes, quibus secundum regulam fidei auxilio esse tenentur, damnanda cupiditate rebus suis spoliare presumunt, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se noverint subiacere.

Can. XXV. Quia in omnibus fere locis crimen usurarum ita inolevit, ut multi aliis negotiis prætermisisti quasi licite usuras exercent, & qualiter virisque Testamenti pagina condemnentur nequaquam attendant: ideo constitutum, ut usurarii manifesti nec ad communionem admittantur Altaris, nec ad Christianam, sed nec eorum oblationem quam accipiat. Qui autem acceperit, aut eos Christiana tradiderit sepultura; & ea que acceperit, reddere compellatur, & donec ad arbitrium sui Episcopi satisfactat, ab officio sui maneat executione suspensus.

Vide superius ad Londoniensis Concilii anni 1125. canonem 14. multas ab anterioribus Conciliis usurariae privationis condemnationes.

5. Can. XXVII. Damnat hæreticos, qui Vasconiam, Albigeniam, Tolosates, Atecomicos, & finitimas provincias pestilenti doctrina inficiebant, qui nunc Cathari, nunc Albigenes, nunc Manichei, nunc Paterni vocabantur; quos una cum defensoribus & receptoribus anathemati subicit. Principes vero & populos Catholicos ad bella contra eos incitat, propositis quemadmodum & in sacris adversus Saracenos militiis indulgentiis & penitentiarum relaxationibus. Albigenes porro Basilidis, Menandri, Marcionis, & Manetis sepulta olim deliria ex inferis revocabant, duo rerum Principia somniantes, bonum unum, scilicet DEUM; malum alterum, Diabolum; hunc vero dicebant corporum omnium creatorem: corporum etiam negabant resurrectionem. Infernum & Purgatorium fabulas meras dicitabant, Ecclesia potestatem abrogabant, originis peccatum, & Baptisimum & unctiois Sacramentum, sacram etiam Eucharistiam inter inania diabolica fraudis signamenta censebant, confessionem, penitentiam, & injuste ablatorum restitutionem prorsus respuebant; matrimonium execrabantur, novas a Deo creati animas, & in corpora infundi præfate negabant, sed Pythagoræorum Metempsychosum invehabant, animas de corporibus in alia, ex humanis etiam in belluina, & ex belluinis quoque in humana transmigrare afferentes: ut referunt Bernardus Lutemburgensis, Guido Carmelita, alique veteres scriptores.

